...islaus

Namowicz Stanislai: Florida Pallas Jagellonica.

FLORIDA PALLAS IAGIELLONICA.

Perillustri & Admodum Rndo. Dno. Dno.

M. STANISLAO MOGILNICKI,

Philosophiæ in Alma Academia Crac: Doctori, Præposito Nieschouień: Ecclesiarum, Cathedralis Vladislauień: & Collegiatæ Wolborień.

CANONICO.

Vernos amœnitatum subijciens flores

DVM

In Peraugusto Diui IAGIELLONIS Lycæo

A

Clarissimo & Admodum Rndo. Dno.

M. IOACHIMO, SPERONIO,

S. T. Doctore & Professore, Ecclesiarum Collegiatarum ad Ædes Omnium SS. Præposito, & S. Floriani Decano, Concionatore Mariano in Arce Cracouiensi, Collegij Maioris Seniore Patre.

Post Licentiam Collatam.

In publico frequentissimorum & Doctissimorum Hospitum consessu, Insignia Doctoratûs acciperet, & S. Th. Doctor renuntiaretur.

Per

STANISLAVM NAMOWICZ,

Artium & Philosophiæ Baccalaureum.

Debiti obsequij & Venerationis ergò

INTRODVCTA.

Anno Redemptionis Humanæ, 1661. Die 17. Maij.

CRACOVIÆ,

In Officina Viduæ & Hæredum Francisci Cesarij, S. R. M. Typographi.

Ad Perillustrem & Admodum

Reuerendum Dominum Doctorem,

VER *à virendo non frustra nomen habet,* PERILLVSTRIS ET ADMODVM REVERENDE DOMINE. *Sensu quippe careret, quisquis amœnitatem illius, siue ab animo, siue à corpore, in omni vitæ Statu, alienam esse existimaret. Esto sane; non sentiant eam sensus Rationalium, nonnè bruta, volucres, campi, syluæ, agri, medius fidius sine sensu, omnia virere loquuntur? O quàm suaue ac iucundum, Parnassus Iagellonicus, ver adesse hodie sentit! Loquar an sileam? Quicquid ob virtutem & eruditionem virorem exhibet, ver meritò & est, & reliqua virescere facit. Sicut in vere violæ, odorem suauissimum spargunt; ita in Nouæ Laurûs accessione, dum nimirum Philosophicæ iuncta est Theologica, non modò virorem, sed etiam fructum datur cernere vberrimum. Est illa eruditionis, laboris, diligentiæ origo: est, hæc reconditioris Sapientiæ, virtutumq; velut fragrantissimorum flosculorum basis maturescens. Illa (vt ad initium veris delicatiores horti faciunt) sicut Illustrissimorum & Reuerendissimorum Episcoporum fauorem produxit: ita hæc eruditionis & virtutum, copiosissimos æque at suauissimos, instar Lilij Candidissimi odores est datura. Non sic aut Hesperides aut Octauius, amœnitate hortorum in verni temporis initio delectatus est, quemadmodum Cathedra* VLADISLAVIENSIS *hac viridi S. Th: Lauru, adornatum amplectetur Doctorem. Spiret itaq; vtinam diutissimè: Tuus iste Perillustris & Admodum Reuerende Domine, vernantis auræ honos, ex eruditione doctrinam, ex virtutibus odorem humilitatis, & ædificationis, velut ex floribus fragrantiam. Hoc mea Pallas* IAGELLONICA, *hoc obsequij promptitudo, hoc debita veneratio, hoc pietatis deuotus cultus optat & vouet.*

ODE

ODE DICOLOS
TETRASTROPHOS.

DIVA quam veris reuehit ſerena
Aura; quam ſolis niueæ quadrigæ
Protrahunt nuſquam remorante fræno
Læta per arua
Iam per Apricos ſatiata campos
Thraciæ florum roſeos Penates
Geſtiens linquas, tibi nunc amæna
Carmina ludunt.
Artium præſes Zephyris in auras
Explicans gratos oculis capillos
Cui virent frondes generatur omnis
Flos, & in herba.
Te colunt Seres, Ciliceſque campi
Et tibi centum geminant odores
Nunc tuos ſparſis violis Roſiſque
Cinge capillos.
Quos petunt flores Arabum per agros
Dexteræ, vel ver refluit Sabæi
Quot coloratis fruticum viretis
Sole caleſcit.
Hybla quot nutrit celebres Roſarum
Purpuras; Cyprus Paphijque colles
Quotque Hyacinthos refouet iocoſis
Vallibus Enna,
Floridis ergo ſpecioſa donis
Prima tu præſis decus ô Dearum
Atque vernantes Amaranthi odores
Collige nobis.
Fac tibi collem viridis theatri
Huc decus confer nemoris, canenſque
Stringe prudenti Cytharæ ſonoram
Pollice chordam.
Vt queat magno decorare plauſu
Hunc diem fauſto remeans in altum
Dignitas paſſu colit & ſub Aſtra
Quem celebrem fert.
Ad Sacram MOGILNICIVS Palæſtram
Lechiæ; Doctor meliore voto
Naſcitur, celſa vt iubar in Cathedra
Luce refulget.
Iure Muſarum Theologus ore
Dicitur Sacro prius in Mineruæ
Qui IAGIELLONIS domibus per artes
Palladis iuit.
Culmen aſcendens retulit Coronas
Quas dedit Pallas, geminando Laurum
Artium fecit Sophiæque dignum
Muſa Magiſtrum.
Władysłaui poſt hac Cathedram Lycæi
Dum petit caſtas teneræ iuuentæ
Imbuit mentes riguoque cæli
Nectare potat.

Cumque iam totâ sapiebat arte
Quam loquax libris schola concelebrat
Quam Plato scripsit docuitq; Rhetor
Quintilianus.
Mox per argutos studij recessus
Labitur Sacri Themidis profundos
Explicat sensus, rudiumq; mentes
Erudit altis.
Ipse per totam Theologus arcem
Duxit ignaros homines, viasque
Arduas suasit Labyrinthi & arctos
Soluere nodos.
Hinc labor durus meritum per altos
Duxit applausu sociato honores
Vt suum ferret coleretq; primum
Nieszawa Mystam.
Clerus ad Sacras pietatis aras
Wolborî fecit Patribus sacratis
Huncce Collegam, sociumque dignum
Ordine tanto.
Nuncque VLADISLAVIA destinatum
Ad sui traxit numerum Senatûs
Vt Cathedrali fieret coruscum
Lumen in axe.
Euge contextam facili Mineruâ
Sume Diuinæ manibus Coronam,
Palladis Sacros apicesque votis
Scande secundis.
Strauit electo Rosei coloris
Flore successum Dea, quæ paratum
Sumpsit ex herbis decus & viretum
Contulit in Te.
Inde fulgesces violæ colore
Dum refers mentem stabilem per omnes
Sortis anfractus, decoratus amplo
Floris amictu.
Namque Te virtus tegit explicata
Fronde, contectum gremio manere
In suo gaudet, Tibi hic nitescit
Scena vireti.
Ergo iam felix maneas sacrique
Fluminis nectar liceat diserto
Ore prolatum per amœna CRACI
Fundere Rostra.
Nos id optamus, Patrij Penates
Quos soli prono genuere semper
Ad tuas laudes animo, quibus Tu.
Viue beatus.

Sub Felicissimis Auspicijs,
Magnifici, Clarissimi, Perillustris, & Admod. Reuereń. Dńi.
D. ADAMI, ROSCZEWICZ,
I. V. D. Ecclesiæ Cathedr: Crac: Canonici, Archidiaconi
SS. Omnium, Præpositi S. NICOLAI, &c.
Almæ Vniuersitatis Crac: Studij Generalis
RECTORIS
VIGILANTISSIMI.